

$\pi_a$   
570



Q. B. V

PRAENOBILISSIMOS AMPLISSIMOS CONSULTIS  
SIMOS EXCELLENTISSLIMOSQUE  
INCLVTAE REIPUBLICAE GORLICENSIS

**PATRES CONSCRIPTOS**  
**MVNIFICENTISSLIMOS GYMNASII**  
**PATRONOS**

ATQVE ITEM

OMNES OMNIS ORDINIS DIGNITATISQUE LITERATOS  
AD ORATIONEM SVB NOVI MVNERIS AVSPICIA  
*MORE RITVQUE VETERVM VII. CALENDAS QVINCILES*  
*HORA NONA MATVTINA AUDITA HABENDAM*  
QVAM POTEST HVMANISSIME OBSERVANTISSIMEQUE  
INVITAT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS  
GYMNASII GORLICENS. RECTOR

---

GORLICI, LITERIS RICHTERIANIS.

*De nimis antiquitatis et novitatis studio;*



*Io. OWENVS. L. III. poster. Epigr. 47.*

Displacet inspiens nouitas, delira uetusfas

Non placet; est VERO nil mihi, Paulle, prius.

Non ego sum ueterum, non adsecla, Paulle,  
nouorum,

Seu uetus est, VERVM diligo, siue nouum.



Oui, quo me prouida prouidi summiq[ue] Nu-  
minis clementia fungi uoluit, muneris ratio  
exigit, ut, quicquid huius est scriptionis,  
publicae exponam luci, eruditorumque  
oculis ac iudicio subiiciam. Nuper scili-  
cet Magnificus Excellentissimusque floren-  
tissimae reipublicae Goricensis Senatus,  
communibus suffragiis, me Gymnasi rectorem designauit, de-  
que cathedra academic[ia], praeter omnem spem et exspectatio-  
nem, deuocatum, toti omnino Gymnasio, eiusdemque docto-  
ribus perbenigne praefecit. De quo quidem singulari pro-  
lixissimoque in me fauore Gymnasi Ephorum, dici uix potest,  
quam impense mihi gratuler, maxime, cum eum occupare lo-  
cum iussus fuerim, quem, per quadraginta, amplius, annos,  
**GROSSE**RS, uere magnus, meritisque et canitie uenerandus,  
mirifice, summaque cum laude, ornauit, diutius sine dubio or-  
naturus, si, quantum animi ualerit uigore, tantum in membris, et in  
lingua praesertim, roboris sentiret ac firmamenti. Non atti-  
net, hic **GROSSE**RI, per uniuersum, qua cultior est, orbem  
celebratissimi, laudes cumulatius percensere, praesertim, cum  
tot eius scripta, nitide profecto et exquisitius elaborata, totque  
item erudit, ex ipsius scholis in omnes fere Europae partes di-  
gressi, dispalatique, cumulatissime testentur, **GROSSE**RO, in  
limandis perpoliendisque iuuenum ingenii, nec diligentiores,  
nec feliciores, quemquam extitisse. Id unum tamen, non pos-  
sum, quin publice commemorem, me, ut aduentans nuper pri-  
mum uidebam, submisque salutabam Venerandum Senem, me,  
inquam, sacro quodam perfusum horrore, uenerabundumque  
adstitisse. Vsque adeo me percellebat rara, mirificaenque con-  
iuncta grauitati, humanitas uenerabilis **VIRI**, qui me tenerius,  
quam ullus unquam pater filium, ex longinquu[m] reducem itine-  
re, excipere potuit, amplectebatur! Seruet DEus hunc meum  
fidelissimum et dilectissimum parentem in posterum fospitem,  
ipsumque sufficientibus, et animi, et corporis, uiribus instruat, ut  
diu, et uidere, et amare, et colere, cum mihi liceat, quem nun-  
quam, nisi summa cum animi uoluptate, uideo, quemque nec  
amare, nec obseruare satis possum. Huius igitur, huius, in-  
quam, magni doctissimique **GROSSE**RI in locum cum nunc  
sufficiar, in eoque iam sim, ut munus auspicer, orationem, VII.  
Calend. Quinetiles, more rituque ueterum, habendam, praemit-  
tam. Ad quam, perbenigne audiendam, Excellentissimos Gymna-  
sii Patronos, et eruditissimos quosuis Musarum Goricensium  
fautores, qualicunque hac scriptione, inuitandos duxi. Ne uero

a 2. con-

consuetudini nihil dem, quaedam, quam fieri potest breuissime, praefabor de nimio antiquitatis nouitatisque studio in philosophando, euidenter demonstraturus, philosophiam rectam sobriamque quiduis potius, quam inconsultum, uel antiquitatis, uel nouitatis, amorem, ferre posse.

Antiquitatis nomen compluribus existit tam uenerabile, ut, cuiusuis rei praefstantiam ex temporis diuturnitate aestuare soliti, id omne, quod recens est, et nuper admodum natum, multo omnino insolentique fastidio, aspernentur. Quae quidem antiquitatis ueneratio, si quos alias, criticos certe, humanitatisque studiis deditos, tenet saepenumero, et nimium quantum occupauit. Hos enim, scimus, quantiuistum demum sibi uideri pretii, cum in monumentum, carie tineisque exesum, inciderint, illudque, coniectandi arte in subsidium adhibita, nouerint aliis interpretari. Peropportune hic in mentem uenit GROTI, quem, accepimus, interrogatum a NICOLAO HEINSIO, qua tandem re opus esset, si ad idem, quod ipse iam attigisset, eruditio fastigium peruenire uellet, seueriori paullulum uoce, praesente PEIRESCIO, respondisse, lege ueteres, sperne recentiores, et eris noster. \*) HVGONI, hac quidem in re, accessisse criticorum alias perplures, id uero, si uacaret, luculentis nunc, memoratuque dignis, exemplis posset comprobari. DIONYSIVM PETAVIVM, legimus, amicis memoriae ac benevolentiae tesseram dare confuesse haec uerba, noua quaerant alii, nil, nisi prisca, peto. CLAVDIVM item BELVRGERIVM, refert ERYTHRAEVS, \*\*) usque adeo antiquitatis studio deditum fuisse, ut, cum alias plures scriptorum antiquorum, tum uero uel in primis Homerum continenter haberit in manibus, hunc edidicerit totum, hunc denique, secum in templum delatum, sacrarum loco precum, recitarit. Perridicule profecto et impie! Vix quisquam, opinor, erit, qui, rerum ueterinamarum notitiam critico, elegantiorisque literaturae studio, summopere esse necessariam, negauerit. Criticorum est, linguas, quibus continetur eruditio et propagatur, ab omni corruptelarum genere liberas, et ab omnibus inquinamentis immunes conseruare. Atque adeo criticorum partes id exigunt, ut, nauiter excusso omni scriptorum genere, limpi-

\*) Conf. Stollii *Historie der Gelahrtheit* edit. nouiss. p. 12. Item Georgii Henrici Ayreri *dissertatio de comparatione eruditiois antiquae et recentioris*, quae affixa est Ant. Blackwallii *commentationi de praefstantia classificorum Auctorum*, quam Cl. Ayer latine uerit, atque animaduerfirib; instruxit, Lips. 1735.

\*\*) In Pinacotheca P. L. p. 206.

limpidissimos illos fontes, in quibus linguarum reperitur integritas, audiens combinant. Tantum itaque abest, ut criticis humanitatisque studiosis fraudi sit antiquitatis amor, uitioque uerti debeat, ut hoc maiorem mereantur laudem plausumque, quo cupidius in perueluendis antiquissimorum auctorum monumentis elaborauerint. Quin imo, aut ego uehementer fallor, aut recte iudicant prudentiores, fine antiquitatis studio eruditiois solidioris amantes non magis proficere, quam quempiam sine sole solem posse intueri. Ex his, rationibus rite subducitis, conficies, rerum, a memoria nostra remotarum, inuestigationem non modo non uituperari debere, uerum etiam maximopere optimo cuique esse commendandam. Quemadmodum uero sagaciore rerum existimatorem, et amant ueterum monumenta, et amari uolunt ab omnibus, ita, non possunt, quin commoueantur animo, grauiusque indignentur, cum, a non nullis, uident, sic coli ueteres, ut fastidiant recentiores, sic adamari obsoleta, ut, quae noua sunt, in minimis ponantur. Ipsos ueteres, constat, de nimio hoc uetus tatis amore, insolentique nouitatis contemtu, identidem uehementerque fuisse conquestos. Scite hanc in rem HORATIVS,

Quod si tam Graecis nouitas inuisa fuisset,  
Quam nobis, quid nunc esset uetus? aut quid  
haberet,

Quod legeret tereretque uiritim publicus  
ufus? \*\*\*)

Haec Horatius. Cui, operae pretium est, addere QVINCTILIANVM. Hic, uitio, inquit, malignitatis humanae uetera semper in laude sunt, praeſentia in fastidio. \*\*\*\*) Alios, ne longior sim, lubens praetereo.

Sed haec quidem de nimio antiquitatis amore criticorum, qui excusati peccare uideri poterant, si, fastiditis recentioribus, plus iusto tribuant ueteribus, propterea, quod in eo, si quidem rerum suarum uelint fatagere, ipsorum curae et labores uel maxime euigilare debent, ut antiquorum monumenta, quam fieri potest diligentissime, et sine remissione, perscrutentur. Velle uero, aut nusquam superstitione, et cum recentiorum contemtu coniuncta, antiquitatis admiratio exstaret, aut criticos certe solos occuparet. At, at, experientia edocet, nouimus, ipsos quoque philosophos, quorum erat,

b

solum

\*\*\* Epift. L. II, epift. I.

\*\*\*\* In dialogo de Oratoribus. Cap. 18.

solam rationem sequi ducem, quos, neque antiquitati, neque nouitati, dare quid oportebat, philosophos, inquam, haud raro antiquitatis amore ita captos, et ita fascinatos esse, ut, eorum bene multos, comperiamus, ex ueritate pauca, ex opinione annorumque numero plurima ponderare. Cum superiorum seculorum memoriam mecum repeto, cum philosophos, philosophandi rationem, praeterito tempore, tantum non omnibus familiarem, cogito, parum abest, quin philosophos inter ipsos philosophos desiderem, et philosophiam in ipsa eorundem philosophia requiram. Antiquitati, et Aristotelis maxime auctoritati, tantum in philosophando, seculis praeterlapsis, tribuebatur, ut ultra Aristotelem sapere uelle, nefas haberetur, magnumque omnino piaculum existimatetur. Quin etiam, si Thomasio fides habenda, philosophiam docturam, summosque in eadem honores indepturi, fide iuris iurandi interposita, polliceri iubebantur, se nunquam, secessione ab Aristotele facta, noui quid in philosophando machinatueros. Atque haec obsequii religio, qua Aristotelis addicti erant eiusdem sectatores, non nullos eo adduxit, ut ipsam Aristotelis ethicam coram concione aliis interpretandam existimarint. Plura, huc pertinentia, adferrem, at, quid opus est uerbis, cum rerum adsumt testimonia? Propone tibi inumeros illos, spissaque molis, libros commentarios, in Aristotelis scripta confessos, considera tot Logica, totque Metaphysica scripta, Aristoteles praceptiones complexa, cumulatius, opinor, intelleges, quo loco habitus quondam fuerit Aristoteles. Nemo intelligentiorum forsitan est, quin, habita temporis, quo uixit Stagirita, ratione, miretur eundem, eiusdemque acumen totus obstupecat, at tantum eidem tribuere, ut eiusdem auctoritas rationis imperio potior sit, id uero est eiusmodi, ut liberalioribus ingenii prorsus indignum uideatur. Non profecto, non opus habet philosophia, ut se, uel Platonis, uel Aristotelis, uel alius cuiusdam eruditii sapientisque uiri, auctoritate tueatur, sed ratio, domesticis nixa praefidiis, non modo, quid in qua re ueri sit, perspicere, uerum quoque, quale illud sit, ipsa optime iudicare potest. Quare, quum intelligentiores, qui iugis Aristotelici dudum fuerant impatientissimi, plus satis animaduerterent, superstitionem Aristotelis admirationem, quantum officiat rationis culturae, tantum ueritatis obstatu incrementis, eo, quanta poterant maxima, animi contentione conuitebantur, ut, iugo Aristotelis excusso, rationem, turpissima philosophandi seruitute, de fastigio suo fere deturbatam, honori suo dignitatique pristinae restituerent, et liberiorem illam philosophandi rationem quasi postlimino reuocarent. Nouimus,

mus, quid Carteius, hac quidem in re, tentauerit, quid efficerit idem, non ignoramus. Ipso enim opitulante, pulsae sunt, magna ex parte, Scholasticorum tenebrae, et perspicuitatis plus, quam antea, habita fuit ratio. Nouimus, quid Thomasi operis, quid Leibnitii acumini, quid Rüdigeri, Wolfii, aliorumque conatibus debeamus, quos, meminimus, auctoritatis Aristotelis pertaesos, ita occoepisse philosophari, ut quiduis potius, quam in unius magistri uerba iurare, uideri maluerint. Quo factum, ut, meditationis ope, innumerae omnino utilissimaeque ueritates fuerint in lucem protractae, quas antea, spissis inuolutas tenebris, uel ignorabant prorsus Scholastici, uel confuse certe et obscuriuscule norant. Haec quidem omnia quoties cogito, cogito autem saepissime, toties, re curatius mecum agitata, quanta sit seculi nostri felicitas, peruideo, quantasque Numeri, rebus humanis propitio, debeam gratias, probe intelligo, quod ea me aetate potissimum nasci uoluerit, qua, discussa densa opinionum caligine, perdomitoque illo informi monstro, Scholasticorum scilicet **barbarie**, largior ueritatis lux laetissime effusit. At simul non possum, quin uehementius indignar, cum uideo, nonnullos, qui **eclectice**, quod uocant, philosophari uideri uolunt, eo saepenumero progredi audaciae, ut euidentissimas quasque et utilissimas ueritates in dubium uocent, rationis fines, quam decebat, latius extendant, mysteria seitaque DEI, perreuerenter tractanda, spernant, ieunias, ridiculas, portentique similes, opinones, nefario omnino detestandoque ausu, commenti. Recentiorum nonnullorum hic mos est, quos, scimus, eam iniisse philosophandi rationem, ut in eo, nescio quam, acuminis gloriam quaerant, si explodunt ueterum placita, falsiusque rident, si ueritates, diuinitus paterfactas, contemtui habent, si noua denique, et ne fando quidem audita, licentius configunt. Quos quidem homines, qui ait, sua uti ratione, philosophorumque in numerum esse cooptandos, nac is ualde ignorat, quam alienus sit uerus philosophus ab omni conuiciandi libidine, quamque uehementer idem detestetur omnes illos, qui laudi sibi ducunt, cum ratione infanire, ueritatesque, supra rationem constitutas, pro commentis habere. Misera profecto et pudenda philosophia est, quae pro uero proxemodum habet nihil, nisi quod recentius est inuentum, siue de caetero rationi sit conueniens, siue eidem aduersetur. Recentiores, fateor, multa inuenere, et multa commentati sunt, quibus iure meritoque superbimus, at, quis se philosophari, nec posse, nec debere, existimat, nisi simul, quod nouum est, pro uero habuerit, is, meo quidem iudicio, longius abest a uera philo-

FK Ta 570

Iosophandi ratione. Cum enim philosophari is demum dicatur, qui, rationem secutus ducem, pro uero habet nihil, nisi quod idoneis intrinsecisque argumentis possit communiri, manifestum est, ueri nominis philosophum, nec ex temporis diuturnitate, nec ex aetatis nouitate, suarum sententiarum ueritatem aestumare. Ecquid, dic, fodes, ecquid, inquam, penes prudentiores ualebit haec argumentatio: Haec uel illa sententia antiqua satis, et ob canitiem quasi uenerabilis est. E. non potest fieri per antiquitatem, quin sit eadem uera. Dudum coepsum est dubitari de prouerbio illo, omnium sermonibus satis trito: **Antiquissimum quodque uerissimum.** Proinde, cum nec temporum uetus, nec proiecta sentiendi licentia, recentiori aetate inualescens, efficere possit, ut, quod falsum est, uerum fiat, quodque uerum est, minus tale sit, intelligitur, quid sit, quod philosophia, in ueri inuestigatione unice occupata, nec nouitatem aetatis, nec eiusdem antiquitatem, admodum curet, sed, argumentorum subnixa robore, id tantum, quod ratio, tanquam optima rerum et fida magistra, praecipit, amplectatur. Eant itaque, et se philosophos appellare erubescant, quotquot, uel antiquitatis nimium studiosi, non sapere, nisi cum Aristotele, sibi uidentur, uel nouorum philosophorum opinionibus, acutius inuentis, capti, tum demum recta se incedere uia, putant, si cum Cartesio, Leibnitio, Wolffio, Rüdigero, aliis, et sentiant, et loquuntur.

Haec fere sunt, quae, hanc in rem, carpim dicenda, putauit. Plura, eaque maioris ominis momenti, addi, et potuerant, et debuerant, sed, temporis, chartaeque angustia exclusi, hic subsistamus, necesse est, ea, quae de illo, *quod nimium est in studio recentioris philosophiae, adferenda nunc erant, peculiari commentatione propediem explicaturi.*

Quod reliquum est, me nunc conuerto ad id, cuius gratia haec omnia sum praefatus. Cum nimirum a Magnificis, Excellentissimisque Patribus Conscriptis, obseruandis Gymnasi nostri Patronis, Gorlicium uel ideo maxime vocatus sim, ut iuuenes ordinum superiorum, docenda, et philosophia, et Theologia, ad academiam rite præparem, nouum nunc auspicabor munus oratione, non comta illa quidem et ornata, sed eiusmodi tamen, ut ad Gymnasi nostri statum uel maxime pertinere uideatur. Constitui nimirum mecum, in illustri Excellentissimorum Doctissimorumque Virorum consilio, declamare de modo, Scholis Gymnasiis, ruinam minantibus, florem pristinum, pristinamque stabilitatem restituendi. Cui orationi, futuro die lunae, in acroaterio maiori, hora IX. matutina, a me habendae, ut interesse perbenigne uelint Magnifici, Excellentissimi, Consulitissimi, Doctissimique reipublicae nostrae Patres Conscripti, atque item Consulitissimi Experientissimique Doctores, nostram ornantes ciuitatem, et Summe Maximeque Reuerendi Ecclesiae Ministri, Nobilissimi porro et Doctissimi Gymnasi Doctores, Gymnasi denique nostri Ciues ornatissimi præstantissimique, omni, qua possum, submissione et humanitate rogo atque contendeo. P. P. VI. Calendas Quintiles, qui dies est in fastis reipublicae sanctioris dies festus, Ioanni facer. Anno recuperatae gratiae clobcccxxxvi.

mo


Pon Ta 570 Fr

ULB Halle  
003 120 945

3





**Farbkarte #13**

Q. B. V  
**PRAENOBILISSIMOS AMPLISSIMOS CONSVLTIS  
 SIMOS EXCELLENTISSIMOSQUE  
 INCLVTAE REIPVBLCIAE GORLICENSIS  
 PATRES CONSCRIPTOS  
 MVNIFICENTISSIMOS GYMNASII**

# PATRONOS

ATQVE ITEM  
**OMNES OMNIS ORDINIS DIGNITATISQUE LITERATOS  
 AD ORATIONEM SVB NOVI MVNERIS AVSPICIA  
 MORE RITV QVE VETERVM VII. CALENDAS QVINTILES  
 HORA NONA MATVTINA AVDITA HABENDAM  
 QVAM POTEST HUMANISSIME OBSERVANTISSIMEQUE  
 INVITAT**

**M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS  
 GYMNASII GORLICENS. RECTOR**

**GORLICI, LITERIS RICHTERIANIS.**

*De ruris antiquitatis et novitatis studio.*

